



De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibus, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm
in lucem prodière

Complectens Sanctos Mensivm || Ivlii Et Avgvsti

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1576-

VD16 S 10261

De Transfiguratione Christi oratio seu sermo Basilij episcopi Seleuciaë in
Isauria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77405)

Crescente verò Fratrum numero, missi sunt quidam ex ijs à F. Paulo in ciuitatem Paricensem, cuius habitatores palàm schismatici & hæretici erāt. Ibi Fratres illi multa perpessi, cum reualuissent, multos ab hæresi ad sanam fidem, à schismate ad Ecclesiæ unitatem reuocârunt. Cumque non essent immemores deuotionis & zeli beati Patris Dominici, quodque ille Cumanos adire constituisset, homines Dei prorsus ignaros, diuino eos spiritu permouente, quosdam spectata virtute Fratres ad eos mittere constituerūt. Sed illi miris modis & penè suprâ quàm credi possit, ab ea gente afflicti, atque etiam repulsi, sine fructu coacti sunt ad suos se recipere. At tamen sancto eos inflammante spiritu, & zelo animarum incitante, denuò ad eos profecti, per multa itinerum discrimina ad flumen eius regionis, quod *Denepër vocant, peruenère. Sed rursus crebrò fame, siti & multiuaria persecutione vexati sunt, alij abducti in captiuitatem, duo interfecti. Qui autem superfuère, illi incolumes in cœpto concionandi studio constanter perseuerârunt. Et tandèm pijsimms Deus respexit labores eorum & constantiam, præstititque vt barbari homines audirent illos: baptizatusque est ante omnes Brutus dux eorum cum quibusdam è familia sua. Qui post aliquot annos, in veræ fidei confessione perseuerans, obdormiuit in Domino, cum prùs confessus esset peccata sua, & more Christiano sacram percepisset communionem à Fratribus, atque in beatissimæ Mariæ sacello, quod Fratres illic degentes, vt quandoquè ibi se colligerent, ædificârunt, honorificè sepultus est.

Cumania, est quædam Tartarorū regio.

Duo Dominici pro fide catholica interficiuntur.

Brutus dux Cumaniz cum alijs credit.

Item dux Benborch.

Deindè verò nobiliorem Ducem Benborch cum mille ferè ex familia eius cõuerterunt, quem è sacro baptismatis fonte non absque magno gaudio suscepit serenissimus Hungariæ Rex. Cumque postea supremum traheret spiritum, dixit ad Fratres, qui illi morienti aderant: Discedant à me Cumani omnes, à fide Christi alieni. Video enim circa illos demones tererrimos. Soli Fratres maneat, & Cumani baptizati. Conspicio enim apud me Fratres martyrio affectos, qui me expectant, vt secum perducant ad gaudia, quæ prædicauerunt. Atque his dictis, cum ingenti latitia spiritum tradidit, humatusque est in sacello memorato. Ità nimirum profecere Fratres in illis regionibus concionibus suis, tum hæreticos, tum gentiles conuertendo, Domino cooperante, & sermonem signis efficacibus confirmante. Infinita enim miracula virtus diuina meritis beati Dominici in compluribus cœnobijs nostris in Hungaria efficit, quorum certus numerus iniri non potest.

BASILII EPISCOPI SELEVCIAE ISAVRIÆ
ORATIO, DE TRANSFIGVRATIONE DEI ET
*Saluatoris nostri Iesu Christi. Habetur in
Simeone Metaphraste.*



SOL in terram modò emittens radios, stellarum quidem choros contegit, Lunæ autem lumen obscurat, insigni splendore impediens, nè cernantur luminaria: noctis autem cursum reprimat, luce tenebras separans: omnia autem veluti nigra veste exuens, ea lucis gratia induit, & ostendit terga continentis coronata floribus, & mare purpuræ speciem præ se ferens: & cum sit vnus, creatæ, quæ cernitur, naturæ illustrat faciem. Verumenimverò etsi sit tantus, ad summam vsque lucem nondùm peruenisse arguitur. Nam & mortales oculi eum audet intueri, & sæpè subtercurrens nubes splendorem discutit, & vmbrosa arbor fulgorem prohibet, & nox freta lege eius, qui eam creauit, in æquilibrio tempus cum Sole partitur. Quoniam enim vita hominum est & laboriosa, & cõstringitur laboribus: propterea diem quidè extendit Creator ad operandum: nox autem aduentans & defessos inueniens, eos tradit lecto relaxationis, mēbra quidem somno soluens, dans autem naturæ præfinitum tempus virium paulatim colligendarum.

6. Augusti.

Dici & noctis officia.

Magna est igitur, vt dixi, & splendida lux Solis, sed que vsibus solùm hominū æquali respondet proportionem. Non est autem huiusmodi lux Domini. Non est enim fas, creatam naturam conferre cum creatore. Neque enim ex collatione radiorum solis honoratur, neque noctis successione occultatur: sed ea est hominibus admirabilis,

Ccc

& An-

& Angelis ad eam non patet aditus. Hac luce indutus Christus Dominus, tanquam trophaeum gestans, venit e caelo in secundo suo aduentu ad homines. Tunc enim mutata belli figura, veste victoris induitur. Sic enim dicit Propheta, describens belli figuram: *Quae sunt rubra vestimenta tua? Ius enim belli eius, qui bellum gerit, vestem cruentavit. Quoniam enim Deo totius sui consilij & oeconomiae is est scopus, qui eius in homines declaret benignitatem, variè perficit voluntatem, & ad vsum hominum humiles figuras induit. Sic in paradiso ambulans eum, qui primus formatus erat, se abscondentem hominem vocat ad colloquium. Sic inter eum ad homines loquentem nubes intercessit: & cum in nouissimis diebus apprehendisset humanitatem, semper apparet conuenienter legibus naturae ex ijs, quae patiebatur, naturae assumptae fidem fecisse. Huiusmodi sunt, praesepe, partus, fascia, circuncisio, purificatio, & lege constituti precij solutio: crux post haec, passio & mors. Sed sic quidem fuit prima carnis susceptae oeconomia, humili figura se ad vsum hominum accommodantis. In tempore autem secundi aduentus mutat figuram, non amplius humilem, vt prius, sed terribilem faciens & praecelaam.*

Illius ergo aduentus gloriam volens aperire discipulis, dicebat: Sunt quidam ex vobis, qui mortem non gustabunt, donec viderint filium hominis venientem in gloria patris sui. Atque vos quidem intuentes ad eam, quae nunc est, figuram humilitatem, propter ignorationem rationis, eius, quae eclatur, sapientiae non peruidetis profunditatem, & mensura cognitionis a vobis sumitur ex mensura ad spectum. Tanto enim tempore sum vobiscum, & non cognouistis me. Aperiam ergo vobis aliquam partem eius, quod spectari non potest, spectaculi, & spem futuram deducam sub ad spectum. Locutus sum vobis de passione, & obtorpuerit animus. Dixi oportere me crucifigi, & illius consideratione metu fractus est animus. Dixi, Si quis vult post me venire, abneget seipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Afflictionem enim probat Crucis societas: sed memoria passionis robur quoque soluebat. Dixi, Quid enim prodest homini, si totum mundum lucretur? & eo sermone vestrum timorem non amouit, sed ita mansit animi perturbatio, quasi amoueri non possit. Rursus introduxi iudicem, qui non corrumpitur muneribus, qui donis non condonat delicta, dicens: Quod enim precium dabit homo pro anima sua? & apud vos fuit dubia oratio. Dixi, Veniet filius hominis in gloria patris sui: & existimastis me narrare fabulas. Quoniam ergo fuit inefficax oratio, res docebunt. Sunt aliqui ex ijs, qui hic stant, qui mortem non gustabunt, donec viderint filium hominis venientem in gloria patris sui. Futuri mei aduentus nondum est tempus. Oportet enim fixam esse Crucem, vinci inferos, mortuis proponi decreta libertatis, cum ex mortuis resurrexero, in caelos ascendere, omnibus proponi certamen praedicationis, per praedicationem dominatum obtinere Euangelium, & tunc apparere eum, qui in Euangelio annunciat. Sed vobis meis discipulis studeo prius donare imaginem mei aduentus, vt cum ante tempus spectaculum oculis hausseritis, ea, quae praecesserint, vobis fidem faciant futurorum.

Sunt aliqui ex his, qui hic stant. Quinam? Non enim omnes. Non enim nunc publico spectaculum: maneat id, quod visum fuerit mysterium, etiam postquam visum fuerit. Haec cum dixisset, inquit, assumit tres discipulos suos, Petram, & Iacobum, & Iohannem. Hos adhibens spectatores, alios reliquit auditores. Et cum duxisset in montem excelsum: Recte excelsum: vt etiam mons haberet descensus ex caelo imitationem. In montibus caelo vicinis (vt Paulus praedicabat) rapiemur in nubibus in occursum Domini in aërem. Nunc quoque quaerit locum, qui vna cum nubibus extollitur. Atque spectatores quidem erant parati: oculi autem erant propter spem aperti, & anima cum timore parturiebat spectaculi desiderium. Cum sic autem futurum expectarent, repente transfiguratur Christus coram discipulis, & mutatur eius forma: & cum lucis induisset tunicam, fulguris praeseferentem speciem ostendit ad spectum. O miraculum. Ex humana forma ferebantur radij, qui emittebantur diuinis operationibus. Vidit Sol, quae non prius didicit, vt qui doctus sit abscondi alterius luminis illustratione. Constitisti Sol aliquando, victoriam expectans Hebraicam. Reueritus es Iesum ducem, qui imperauerat, in conseruo honorans Domini appellationem. Nunc vidisti lucem, quam non prius videras. Hoc spectaculum narrantes scriptores Euangeliorum, alius aliud trahit dictionem, vt qui verbis non possit exprimere spectaculum. Alius enim dicit utique, Resplenduit facies eius, sicut Sol. Alius verò, Resplenduerunt eius vestimenta, sicut lux. Ijs enim, inquit, quae videmus, assimilamus. Vna

Esa. 63.
Scopus di-
uini officij.
Gen. 3.
Psal. 98.

Matth. 16.

Iohan. 14.

Luc. 9.

Ibidem.

Matth. 16.

Luc. 9.

Matth. 16.

Cur in praesentia discipulorum Dominus se transfigurauerit.

Matth. 17

1. Thef. 4.

Iosue 10.

Matth. 17.

Luc. 9.

Vnà autem vincatur creata quoquè natura, non inueniens similitudinem eius, quod cernebatur. Testantur oculi; lingua enim dicere non didicit. Spectaculū autem splendore eorum, quæ videbantur, fulguris instar præstringens oculos, significauit orbis terræ futurum iudicem. Visa sunt autem vobiscum præsentēs ea, quæ sunt viuorum & mortuorum ad virtutem primitiæ, vt viuorum simul & mortuorum iudicem Dominum prædicent præsentibus. Moyses enim virtutis dux & legislator, morte excedit è vita: Elias autem diuino zelo accensus, ignis auriga efficitur: & cum cursu vectus esset per aërem, leges naturæ transiit, viam inueniens morte superiorem.

Cum in hunc locum perueneris, fac vt in memoriam reuoces Domini rogata, & responsa discipulorum: cum alij quidem Eliam, alij verò vnum ex Prophetis, alij verò Prophetam nominarent: viderent autem eum adorari à Prophetis. Moyses supplicat, Elias se inclinat: & Dominum esse, non seruum, testantur eum qui aderat. Sed Petrus etiam si hæc videret, nondum docetur, vt cuius esset obstupescita ratio magnitudine miraculorum. Nam propter spectaculi desiderium, omnium obliuiscitur, & loco alligatur superatus à nimio gaudio. Faciamus, inquit, tria tabernacula: tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum. Arguit suam ignorationem, Dominum vnà cum seruis enumerans. Existimauit subiectos, esse Domino aequales honore. Sed non mansit Petrus in hoc vitio ignorantia. Nam cum tonitru desuper erupisset, cum timore curat ignorationem, propemodum cum strepitu hoc exclamans: Cur seruos cum Domino comparatis? Vultis scire differentiam? Hic est filius meus dilectus: Illos creati seruos, hunc filium ex mea genui essentia. Meus est filius, etiam si serui forma propter vos est indutus. Habet lucem, ad quam accedi non potest, etiam si propter vos habet moderatos radios. O beatos oculos, qui Christum contemplantur indutum instar sponsi. O beata lumina, quæ terribilem diem iudicij in miri cernunt specie. Quæ enim cernent trementes Angeli, ea læti viderunt homines. Quanam enim vis oculorum potest diem terribilem subire iudicij, quando terra quidem mouebitur, & mare, quod hominum ex Adam orta ebulliet corpora: quatiuntur verò cæli cum Angelis, timorem non ferentes? Complicabitur enim cælum, tanquam Rege transeunte: repente verò contrahent satellites vestibuli peripetasmata. Ablato autem cælo, Angelicarum quidem potestatum cum splendore se offerent ordines, mille millia Angelorum, & decies mille millia præcurrentia. Videbitur autem descendens Dominus, insigni luce, fulguris instar, illustrans omnia.

Quis ergo eorum, quæ videbuntur, sufficiet spectaculo? Quis metum poterit dimetiri? Si enim repentina non ferimus fulguris coruscationem, sed ea eum, qui cernit, in humum sæpè deicit: quid dixerit quispiam, exorientem eum videns, qui fulguratè quando sonitus tubarum vocabunt mortuos è sepulcris: quando rumpentur capsæ monumentorum, victos emittentes: quando iudicabuntur proposita, facta & cogitata: quando victus adducetur diabolus, de quo tyrannicarum sumetur poenæ cogitationum: quando separabuntur greges hominum, vt sciatur quis cuiam sit parti attribuendus, quisnam sit futurus Christi iudicis, aut condemnati latronis: quando simul viuentes & mortui confluent. Erit enim vnà omnium adoratio, quandoquidem celeritas resurrectionis faciet eorum, qui immutabuntur, corpora in cursu æqualia, conuenienter voci beati Pauli: Nos qui viuimus, qui relictī sumus, non proueniemus eos, qui dormierunt: Nec erit mortuus ijs, qui viuunt, propter sepulcrum traditor. Et omnes eius sententiam expectabunt cum timore, nescientes, an sint audituri, Venite benedicti patris mei: an, Abite in tenebras exteriores, quæ sunt parata diabolo & angelis eius: quando trutina appendens opera, res circumscribet sine conuenienti.

Huius ergo spectaculi imaginem dedit Dominus Apostolis. Cuius nos terrorem reputantes, mores mutemus ante id tempus, bonis actionibus fidutiam comparemus, & ante tempus iudicij meditemur defensionem, nè vnà condemnemur cum inimico, qui iudicatur: sed cum diligente Christo in cælum ascendamus, hæredes Dei, cohæredes autem Christi: Quoniam

ei gloria in secula seculorum,

Amen.

Ccc 2

AN

Deut. 34.

4 Reg. 2.

Matth. 16.

Matth. 17.

Vox pater-

na, quis &

qualis fue-

rit Iesus de-

clarat.

1. Tim. 6.

Apoc. 6.

Numerus

finitus pro

infinito.

1. Theff. 4.

Matth. 25.

Hoc de vi-

uentibus in

carne tem-

potest extre-

mi iudicij

intelligen-

dum est.